



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 55. Salisburgensis Principis atque Archiepiscopi querelæ contra  
Passavienses.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

„damus, ut intra duos menses a die, Sæc. XVIII.  
 „qua vobis hæ nostræ in forma brevis A. C. 1728.  
 „literæ traditæ fuerint, res ejusmodi  
 „perperam gestas & illatas Venerabili  
 „Fratri Episcopo vestro injurias idonea  
 „debitaque satisfactione reparetis; sta-  
 „tutum vero antedictum omnino re-  
 „vocetis atque a tabulis Capitularibus  
 „deleatis. Confidimus autem, vos  
 „sedulo cogituros, quam absônæ fue-  
 „rint æquitati & rationi collatisque  
 „in Passaviensem Ecclesiam beneficiis  
 „querelæ vestræ, neque commissuros,  
 „ut scandalis avertendis & injuriis e-  
 „mendandis necessaria esse ulteriora  
 „remedia videantur. Ac vobis, Di-  
 „lecti Filii Apostolicam benedictionem  
 „peramanter impertimur.,

## §. LV.

*Salisburgensis Principis & Archiepi-  
 scopi querelæ contra Passa-  
 vienses.*

Hoc item anno Mense Septembri Leo- Vide supra  
 poldus de Firmian Archiepiscopus pag. 691.  
 & Princeps Salisburgensis querelam  
 ad Ratisbonensia Imperii comitia de-  
 tulit, eoquod Passaviensis Episcopus  
 totam suam Diæcesin ab ejus Archi-  
 episcopali jurisdictione eximi per Pon-  
 tificis Breve obtinuisset, non sine ma-

Xx 5 ximo

Sæc. XVIII. ximo juris: Metropolitanæ præjudicio.  
 A. C. 1728. Eapropter Zillebergius Salisburgensis  
 Archiepiscopi Legatus Ratisbonæ ex-  
 posita facti specie examinandum pro-  
 posuit, I. utrum Pontificis Bulla cum  
 tanto Salisburgensis Ecclesiæ præjudi-  
 cio subsistere valeat, II. an plenitudo  
 potestatis sese eo extendere possit, ut  
 quæsito alterius juri per eam derogari  
 queat? Utramque quæstionem Lega-  
 tus negando dissolvit, ac demonstravit,  
 quod prius saltem Salisburgensis Ar-  
 chiepiscopus audiri debuisset, cum no-  
 tum sit, quod Canones, & Ecclesiastici  
 Canonum Custodes Metropolitanorum  
 jura labefactari non permittant, nisi  
 extrema necessitas vel manifesta uni-  
 versalis, non autem particularis Ec-  
 clesiæ utilitas id deposcat, utraque au-  
 tem deficiente ejusmodi imminutio ex  
 plenitudine potestatis fieri non potue-  
 rit. Præterea ostendit Legatus, Pon-  
 tificem in suo Brevis exponere, quod  
 hanc exemptionem Passaviensis Epi-  
 scopatus *ex speciali gratia* indulserit, *gra-  
 tiæ* autem locum non esse, ubi alte-  
 rius jus ac justitia læderetur, inde ergo  
 patere, hanc causam cum evidenti  
 Hierarchiæ Ecclesiasticæ ruina in Ro-  
 mana Curia agitatum, decisamque  
 fuisse: Cum ergo, prosequeretur Le-  
 gatus, gravia inde mala aliisque Ec-  
 clesia-

clesticis Imperii Principibus præfer- Sæc. XVIII.  
 tim Archiepiscopis eorumque Suffra- A. C. 1728.  
 ganeis præjudiciosa oriri possent, &  
 facile contingere valeret, ut alii quo-  
 que Episcopi forte Cæsareis literis com-  
 mendatitiis muniti sese pariter juri Me-  
 tropolitico subtrahere molirentur, hinc  
 Salisburgensis Archiepiscopus confidit,  
 fore, ut ceteri quoque Ecclesiastici Ele-  
 ctiores ac Imperii Principes hac in re  
 cum eo communem facturi causam,  
 junctisque viribus ac consiliis effecturi  
 sint, ut tam grave præjudicium tolla-  
 tur, & audita etiam læsa parte secun-  
 dum juris formam hæc causa dijudi-  
 cetur: Ut id autem eo promptius fie-  
 ret, Archiepiscopum vehementer de-  
 siderare aiebat, ut literæ omnium no-  
 mine, ac debita reverentia scriptæ ad  
 Papam transmitterentur &c. Atta-  
 men hac in causa nullum aliud exstat  
 Cæsareum decretum, forte quod ipse  
 Imperator Passaviensi Episcopo patro-  
 cinaretur, & aliunde hæc controver-  
 sia, ad summum Pontificem spectare  
 videretur, nec ex concessa exemptione  
 quicquam Romano Imperio, ejusque  
 systemati vel juribus detractum esset.

§. LVI.

*Res Helveticæ.*

Hoo